



# Actes récents du Saint-Siège concernant la Sainte Eucharistie

## I — PAINS D'AUTEL

### *Sacra Congregatio De Disciplina Sacramentorum*

Relatum est huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum in nonnullis Dioecesisbus quosdam Vicarios Foraneos, aut Decanos, vel Parochos solere singulis duobus vel tribus mensibus hostias comparare easque distribuere in propriis et filialibus Ecclesiis pro Missæ sacrificio peragendo ac pro fidelium eucharistica communione. Elapso hoc temporis spatio nova fit acquisitio et distributio hostiarum, quæ pariter duobus vel tribus mensibus sufficient, ac ita deinceps. Et exquisitum est an probari possit hujusmodi praxis adhibendi, pro SSmo Eucharistiæ sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas.

Hæc S. Congregatio, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondit: *negative, et servetur præscriptum Ritualis Romani et Codicis Iuris Canonici.*

Rituale Romanum (tit. IV, cap. I, *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento*) hæc præcipit: "Sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renovabit (parochus). Hostiæ vero seu particulæ consecrandæ sint recentes; et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat".

In Codice Juris Canonici hæc statuuntur: Can. 815: "panis (pro Missæ sacrificio) debet esse mere triticus et recenter confectus ita ut nullum sit periculum corruptionis. Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum". Can. 1272: "Hostiæ consecratæ sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem Sanctissimi Sacramenti et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus